

Hinc patet responsio ad primum: non enim ex eo quod et poenitens aliquid confert potest dici minister Sacramenti; quod manifestum est in ordinatione, si fiat ea hypothesis, quam diximus, quam tamen concedendum est nihil in se continere, quod repugnet doctrinae catholicae de Sacramentis. Nam in hac hypothesi tactus instrumentorum ex parte ordinandi est pars essentialis materiae Sacramenti; et tamen minister Sacramenti solus Episcopus dicitur. In hac ergo hypothesi nullo modo aliena a natura Sacramentorum, ipse suscipiens Sacramentum aliquid facit, quod est elementum signi efficacis, et tamen minister Sacramenti dicitur esse tantum qui formam ponit. Itaque secundum catholicum sensum ille est minister Sacramenti, qui vel formam et materiam simul ponit, vel formam ponit eamque materiae applicat et ita eam elevat ad dignitatem Sacramentalem; quemadmodum etiam in confectione Eucharistiae contingit, in qua Sacerdos formam tantum materiae applicat.

Ad tertium respondent quod causa immediata remissionis proprie est Sacramentum, in cuius forma *praecipue* est vis illius effectus, ut Tridentinum docet, sed non totaliter. Sacerdos vero causa est remissionis quatenus Sacramentum ponit; ipsum vero ponit eo modo quo est eius minister, nempe ipsum totum ponit, sed non totaliter. Nam formam et materiam ponit, formam ipse solus, materiam ipse quoque ponit, cum actus poenitentis determinat per formam ad esse sacramentale. Porro qui formam ponit, quae est principium activitatis, eamque applicat materiae, licet effectus deinceps sit a forma et materia simul, ille verissime dicitur auctor et causa effectus. Quare ex hoc capite non est cur non possit dicere Sacerdos se remittere peccata. Ipse autem verissime dicit ipse solus dicere potest se absolvere, quia absolutio exercitium potestatis est clavum, quae ipsi soli competit: id tamen non impedit quominus ex institutione Christi ut absolutio valida sit, requiratur simul actus aliquis poenitentis.

Ad exemplum petitum ex natura iudicij potest primo responderi quod quando aliunde constat quid Deus instituerit, cum res sit ab eius libero arbitrio pendens, exempla ex aliis rebus licet similibus desumpta nihil valent in contrarium. Deinde negari potest totam vim esse a sententia iudicis et non etiam ex parte ab aliis actibus puta a probationibus; sed videtur satis esse si dicatur sententiam iudicis se habere ad probationes veluti formam ad materiam, et ex utraque simul effectum prodire, qui proinde *praecipue* a sententia iudicis pendeat, sed non totaliter. Cuius argumentum esse potest, quod si probationes desint, non sint debitae solemnitates servatae, sententia nulla sit. Unde et posset retorqueri argumentum.

Negant tandem quod in secundo argumendo asseritur; nam et actus poenitentis significant recessum eiusdem a peccato, qui recessus est effectus Dei volentis remittere peccata et moventis hominem per eos actus ad eam assequendam.

VII. Verum si ultimum illud argumentum partis negantis, prout proponitur (an verum dicat videbimus), consideremus, animus statim haerere dubius incipit. Aetate quidem Cardinalis Lugi haud tanta vis inerat huic opinioni, quod homini in extremo agenti, qui nullum dederit signum (quod scilicet in aliis adiunctis acciperetur rationabiliter ut signum vel certum vel probabile) petitae absolutionis, possit (utique sub conditione interioris dispositionis) administrari absolutio. Id enim a doctoribus tunc communiter negabatur. Idem Card. Disp. XVII, Sect. 3. stupet primum in diversitate opinionum hominum. « Adeo sunt, inquit, hominum iudicia diversa, ut quibusdam absolutionem negantibus moribundo, qui peccatum solum in genere confiteri potuit, alii absolvendum putent eum etiam, qui nec confessus est, nec confessionem facere potuit, nec signa poenitentiae in periculo dedit, dummodo prius christiano more viveret, sacramenta frequentare soleret, fidelis ac probus aestimaretur », et paucos citat pro hac opinione. His vero reiectis subdit: « Merito ergo *alii omnes* pro certo supponunt non posse conferri absolutionem sacramentalem, nisi ex parte poenitentis praecedat saltem petitio seu desiderium confitendi (expressum utique aliquo signo) cum qua limitatione dicitur in Rituall romano Pauli V dandam esse absolutionem. Et ita docent Suarez Disput. XXIII. Sect. 4. Vasquez q. XCI. a. 2. dub. 1. dicens nullum esse qui contrarium sentiat, Coninch. Disp. V. n. 28, et Disp. VII. n. 96. dicens contrarium non esse probabilem, Layman L. V, Tract. 6. c. 12. etc. » Subdit: « Et ultra fundamenta supra adducta colligi potest ex perpetuo usu Ecclesiae, quem decreta Pontificum et Conciliorum clare ostendunt, dum semper addiderunt, absolvendum esse quidem infirmum, qui loqui non potest, si tamen voluntatis poenitentiae testimonium aliorum verbis habeat, quam conditionem in nullius Concilii aut Pontificis decreto praetermissam videmus (cf. Concilii Carthag. IV. can. 76. Fulgentii epist. XII. 21. s. Leonis epist. CVIII ad Theodorum episc. Foroiuliensem). Non ergo expedit in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plusquam omnes nostri ss. Patres sapuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis ». Ita quidem doctissimus et prudentissimus Cardinalis.

Attamen deinceps sententia affirmans licere absolutionem imperiri (utique sub conditione) etsi desit testimonium aliorum et fidelis iam iam moriturus nec certa signa edat voluntatis suae neque hu-

iusmodi signa, quae aliis in adjunctis haberentur ut signa vel certa vel probabilia petitiae absolutionis, haec sententia affirmans, inquam, deinde in schola obtinuit et communior evasit, licet non ab omnibus eodem pacto explicata, atque a non paucis ita accepta sit ut a precedentium doctorum sententia non discederet, quemadmodum mox videbimus: ablata quoque ea conditione quod moribundus vixerit antea christiane: quam impertinentem esse ipse Lugus ostenderat. Cf. s. Alphonsus l. c. P. Ballerini De Poenit. n. 506. Afferatur autem absolutionem in his adjunctis dandam esse *sub conditione*, quae saltem ista esse debet (nam aliam mox videbimus), dummodo nimis adsit sufficiens dispositio interior, quam nulla exteriora signa certa testantur.

Verum sententia haec, prout penes quosdam praescindit a quovis signo externo, non bene argumento intrinseco suadetur, quod ductum dicunt a simili, eo quod scilicet possit absolviri qui solum petit absolutionem, vel etiam cuius petitio constet sacerdoti ex solo testimonio aliorum; in his enim casibus, aiunt, reapse nulla est confessio, qua deficiente si potest dari absolutio, non liquet cur alii actus requirantur. Negamus valere hoc argumentum. Nam adest in hoc casu certa sensibilis subiectio poenitentis potestati clavium, quia petens absolutionem edit hoc ipso confessionem in genere suorum peccatorum; quocirca et falsum est deesse confessionem simpliciter, deest enim tantum confessio distincta. At illa subiectio sensibilis et generalis confessio satis sunt per se ad ritum iudicialem constituendum.

Non leve autem argumentum ex auctoritate Augustini putat rursus se habere haec eadem opinio. Is enim in Lib. I. c. 26. de coniugii adulterinis disputans an catechumeni, qui in adulterio vixerint, baptizandi sint « si morbo vel casu aliquo oppressi petere sibi baptismum vel ad interrogata respondere non possint », licet aliter sentientes non improbet, ipse tamen sic concludit c. 28. « Ego non solum catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium coniugii copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admittamus ad baptismum; tamen si desperati iacuerint (quidam codices addunt: *et intra se poenitentes*) nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad baptismum statuerant detineri? » Subiicit porro quod ad nostram quaestionem apprime facere dicitur. « Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finienda vitae periculum praecoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha sua pacis exire velle debet mater Ecclesia. » Verum non videntur satis assecuti mentem Augustini, qui hoc testi-

monio utuntur. Sermonem enim habet in secundo loco Augustinus non de quolibet christiano peccatore, sed de *poenitentibus*; haec vero appellatio tunc temporis simpliciter usurpata certam classem fidelium significabat, eorum scilicet, qui iam poenitentiam petiverant eamque in facie Ecclesiae agebant; et idcirco iam desiderii absolutionis signa Ecclesiae dederant: sicut catechumeni dederant iam signa desiderii baptismi.

VIII. Ut ergo, his argumentis omissis, de ipsa sententia iudicium, quantum in nobis est, feramus, advertendum est, quod iam monuimus, quod ex iis, qui opinionem hanc tuentur, quidam conantur eam cum sententia veterum conciliare asserente actus materiam intrinsecam sacramenti. Aiunt enim (penes s. Alphonsum l. c.) quod ille infirmus « praesumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem; quamvis tunc ista signa Confessarius non percipiat: sufficientem enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio praesumpta ». Volunt autem « absolutionem omnino praestandardam esse sub conditione, quae sacramenti iniuriam reparet, si forte desit materia sacramenti, » nempe, si actus illi non sint signa contritionis aut desiderii sacramenti. Hanc declarationem probat prae ceteris s. Alphonsus: ideoque concludit quod quoniam in his adjunctis materia sacramenti dubia est saltem, et in casu extremae necessitatis licitum est uti materia dubia; hinc licet tunc absolutionem impendere.

At hac admissa explicatione, adhuc integra manet doctrina quod actus suscipientis sint essentiales sacramento: solumque dicitur quod etiam cum dubii sunt, potest in certis adjunctis sub conditione administrari sacramentum.

Profecto non omnes theologi morales hanc explicationem recipiunt (cf. cl. P. Ballerini De Sacr. Poenit. n. 506 in nota): verum cum ea non paucis probetur, etiam s. Alphonso, id efficit ut neque nunc affirmare liceat communem esse inter theologos eam sententiam circa administrationem sacramenti Poenitentiae, quae excludit actus suscipientis a dignitate *materiae ex qua*.

Ceterum nullo ecclesiastico decreto firmata est haec opinio et praxis dandi in iis adjunctis absolutionem moribundis, nec eius mentionem facit rituale romanum.

Quid ergo concludimus? Primum: sententiam affirmantem actus poenitentis esse *materiam ex qua* idoneis satis argumentis inniti: secundum: opinionem eam recentem, de qua locuti sumus, etsi ea probata in genere ab Ecclesia dicatur, nondum esse sub ea speciali ratione communem, qua valeat ostendere actus poenitentis haud esse

*materiam ex qua: tertium: sententiam Scotti, sive habeatur ratio declarationis doctrinae adhibitae quoque ab iis, qui eidem adversantur (cf. sup. n. IV.) sive huius opinionis et praxis, quam explicavimus, prout a quibusdam accipitur, qui praecisione facta a quolibet externo signo, solum postulant praesumpcionem internae dispositio-  
nis, videri satis probabilem, extrinsece saltem. Ad id concedendum  
(donec iudicium suum interponat Ecclesia) movemur praesertim ex eo, quod satis frequenter contingere possit ut difficile prorsus sit vel moraliter impossibile praesumere in talibus moribundis signa exter-  
iora poenitentiae interioris, et tamen eis quoque liceat absolutionem administrare sub conditione, nempe si interius sint rite dispositi.*

IX. Si autem quaeras quid huius opinionis assertores respondere possint argumentis partis affirmantis (II); prima responsio ad quae-  
dam argumenta patet ex ipsis argumentis partis contrariae. Quoad alia hae nobis videntur opportunae responsiones. Scilicet argumento e) dicendum videretur, per illud *praecipue* comparari quidem absolu-  
tionem sacerdotis cum actibus poenitentis, atque haec duo compa-  
rari prout ambo spectant ad sacramentum; sed praescindi a que-  
stione utrum spectent actus tanquam materia ex qua, an tanquam  
materia circa quam; nam et sub hac ratione ad sacramentum spe-  
ctare dicenda sunt, ut sunt partes ritus iudicialis. Ad aliud vero f) ex cap. 2. dic materiam et formam dici esse de essentia (cuiuslibet) sacramenti sensu non univoco sed analogo, quatenus necessaria  
sacramento, licet materia non sit in omnibus sacramentis eodem modo. Certe in confectione Sacramenti Eucharistiae tota vis est in  
forma seu verbis, et materia non se habet ut aqua in baptismo.

Ad tertium vero c) dici potest quod non negatur requiri peti-  
tionem absolutionis, sed in his casibus praesumitur petitio seu vo-  
luntas interior.

Ad primum a) quod nempe actus poenitentis dicantur a Trid.  
partes sacramenti, respondere licet quod partes sunt sacramenti, qua-  
tenus sunt partes illius ritus, quo ex divina institutione administra-  
dum est ordinarie sacramentum. Cf. quae dicemus in prima thesi  
de Confessione.

Quod autem spectat ad comparisonem institutam inter satis-  
factionem aliosque actus (arg. g); quamvis haec difficultas hec expe-  
dienda foret, ut quaestio integre pertractata videatur; quia tamen  
quarumdam rerum notitia requiritur, quibus proprius erit locus ubi  
de satisfactione disputabimus, flagitamus id nobis permitti ut illuc  
quoque huius rei iudicium reiiciamus.

#### SCHOLION

I. Ut quaestionem hanc de materia Sacramenti absolvamus, oportet et illud expedire, quod spectat ad ritum impositionis manus. Itaque nota ex Sirmundo (Historia poenitentiae publicae cap. VII) quod in poenitentiae publicae administratione triplex distinguebatur manus impositio. Prima est, quae adhibebatur in ipsa poenitentiae impositione, cum dabatur actio poenitentiae; de hac Leo Magnus epist. ad Rusticum Narbonensem dicebat « alienum esse ab Ecclesiae consuetudine, ut presbyteri vel diaconi pro crimine aliquo suo *per manus impositionem remedium accipient poenitendi* ». Secunda im-  
positio adhibebatur tempore, quo agebatur poenitentia, quae toties repetenda erat super poenitentes, quoties hi ab Ecclesia post cate-  
chumenos eiiciebantur. Haec est, de qua loquitur Conc. Carthag. IV.  
an. 398. cn. 80. « omni tempore ieunii manus poenitentibus a Sa-  
cerdote imponatur ». De hac Synodus Laodicena cn. XIX preecepti  
« postquam cathecumeni egressi fuerint, super eos, qui sunt in poe-  
nitentia, preces fieri, atque his accendentibus sub manu Episcopi et  
discedentibus tres orationes fidelium fieri ». De eadem Augustinus  
ait Serm. CCXXXII. « Abundant hic poenitentes: quando illis ma-  
nus imponitur, fit ordo longissimus ».

Tertia impositio manus adhibebatur in reconciliatione poeniten-  
tium. De hac exstat canon 76 eiusdem Conc. Carthag. « Is qui poe-  
nitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invi-  
tatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus  
fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat poenitentia;  
et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus  
impositionem et infundatur ori eius Eucharistia ». (Observa per  
transennam *manus* semper non *manuum* mentionem fieri).

II. Iam vero iste ritus impositionis manus non habebatur tan-  
quam essentialis pro Sacramenti Poenitentiae administratione. Ete-  
nem 4) ritus erat proprius poenitentiae publicae, quam certi pecca-  
tores in facie Ecclesiae subire debebant, unde ab eo ritu immunes  
erant presbyteri et Diaconi, qui publicam poenitentiam agere non  
poterant; atqui ritus proprius poenitentiae publicae non est essen-  
tialis Sacramento, sicut nec ipsa publica poenitentia: ergo.

2) Si qua esset impositio, de qua dubitare licet an habita fuisset  
essentialis Sacramento, ea foret reapse prima, qua actio poenitentiae  
dabatur, tunc enim, ut videbimus (App. §. II.) solebat sacramentalis  
absolutio conferri poenitentiam publicam acturis: at eam impositio-  
nem manus non fuisse necessariam Sacramento docet Leo negans

sacerdotibus eam esse adhibendam, quibus tamen non negat remedium poenitendi h. e. Sacramentum poenitentiae. Quod si velis cum pluribus eruditis fuisse reapse absolutos a peccatis poenitentes in ultima reconciliatione, qua ad participationem Sacramenti altaris admittebantur, id etsi modo demus, attamen ea quoque impositio manus, quae tunc adhibebatur, non esset dicenda habita fuisse necessaria a Patribus pro administratione Sacramenti, quod supponitur tunc fuisse collatum. Sic enim statuunt Patres Concilii Arausicani I aetate Leonis Magni, cn. 3. iam superius citato: « Qui recedunt de corpore, poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitionem Patrum, qui huiusmodi communionem viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine poenitentium, ut ostensis necessariis poenitentiae fructibus legitimam communionem reconciliatoria manus impositione percipient. » Itaque hi Patres Arausicani, provocantes etiam ad traditionem Maiorum, distincta reconciliatoria manus impositione, quae post poenitentiam acceptam fiebat, a Viatico, eaque negata, hoc sufficere aiunt consolationi morientis, quod profecto non suffecisset si sine illa manus impositione remissio peccati a ministro sacramenti dari non potuisset.

III. Quare manus impositio in reconciliatione ritus illius ultimae absolutionis, qua poenitentia functis remissio reliquae poenae coram Deo dabatur (cf. quae dicemus de hac re in Append. cit.); iisque potestas simul fiebat participandae communionis Eucharisticae, quae idcirco, ut Patres Arausicani loquuntur, appellabatur *legitima*, cum iis dabatur, qui secundum leges publicae poenitentiae functi essent poenitentia; tunc enim ea debebatur: ut distingueretur ab ea communione, quam, nequis periret, Ecclesia in articulo mortis ante exactam poenitentiam concedebat. Huc quoque facit canon 78 Conc. Carthag. IV. « Poenitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint ». Ex quibus patet non semper infirmis Eucharistiam ideoque et absolutionem a peccatis datas fuisse cum manus impositione. Cf. cn. Arausic. mox allatum.

Ergo ritus impositionis manus neque olim habitus est essentialis administrationi Sacramenti poenitentiae.

#### THESIS XV.

*Subiectum capax exercendae potestatis remittendi et retinendi peccata solus est iure divino Sacerdos primi secundique ordinis; falsumque haberi debet, quod quidam sunt commenti, factam aliquando ab Ecclesia Diaconis potestatem sacramentaliter absolvendi.*

I. Thesis affirmans est et exclusiva; omnisque difficultas in ea parte, quae excludens est, reperitur. Quod enim Episcopis potestas clavium competit nemo negat, qui non negat eos esse in Ecclesiae regimine successores Apostolorum, ipsaque ecclesiastica historia docet eosdem primis Ecclesiae seculis vel solos vel praecipue hoc munus exercuisse impertiendi poenitentibus absolutionem a peccatis. Eam potestatem pariter sub Episcopis competere et iis, qui in monumentis Ecclesiasticis cuiusque aetatis veniunt nomine *presbyterorum*, quo ab episcopis et diaconis discernuntur, et in confesso est apud omnes et continua praxis Ecclesiae docet, atque iis argumentis confirmabitur, quibus pars exclusiva thesis demonstratur.

Porro advertendum est quod *Sacerdotis* nomine primis Ecclesiae seculis veniebat κατ' ἔξοχην Episcopus (cf. Cyprianum epist. 55. alibique et Chrysostomum *de Sacerdotio*) et haec ratio loquendi penes Leonem M. frequenter occurrit. Attamen non ita erat etiam tum Episcopis propria haec appellatio, ut presbyteris denegaretur; imo et ipsi quoque sub hac appellatione intelligebantur, licet secundario. Sane ea aetate Augustinus *De Civ. Dei. L. XX. c. 10.* enarrans verba Apocalypsis: *sed erunt Sacerdotes Dei et Christi*, ait: « non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes, sed etc. » Hinc Innocentius I in decretali epistola ad Victricum n. 12. de continentia loquens, quam certi ordinis clerici servare debent, nominat tantum *sacerdotes et levitas*, cum vero ea certe obligarentur episcopi et presbyteri, patet ea appellatione Sacerdotum utrosque fuisse designatos. Et idcirco idem Innocentius in epist. decretali ad Decentium 6. ait presbyteros esse *secundos sacerdotes, carentes apice pontificatus*. Unde ipse Cyprianus, qui sacerdotis nomine frequentissime episcopum designat, presbyteros quoque identidem vocat Sacerdotes, ut in epist. 68. inquiens: « Neque hoc in episcoporum tantum et sacerdotum, sed et in diaconorum ordinationibus observasse apostolos animadvertismus ». Et quidem iure haec appellatio ipsis facta; si enim Sacerdos est qui sacra facit, qui sacra distribuit, qui sacrificium offert, cum haec pre-